

ILLVSTRISSIMO

ET REVERENDISS. ARCHIEPIS

COPO BEATI ANDREAE, S. PONTIFICIS, SAN-

ctæ sedis Apostolicæ Legato, Ecclesiæ Regniq; Scotiæ

Præsidi IOANNI HAMVLTIONI, Hieronymus

Cardanus Mediolanensis Medicus,

S. D. P.



NIHIL tam humanum est, tamq; iucundum, Antistes Maxime, quã ea cognoscere & scire, quæ natura inter arcana sua condidit. Nihil tam præstans ac magnificum, quàm Dei maximum opus intelligere ac contemplari. Quæ duo cum Astrologia ipsa complectatur, & cœlestis illius machinæ Diuinũ opus maximum, & futurorum arcanam notitiam, merito hæc disciplina ab omnibus sapientibus cæteris præstantior existimata est. Eos uerò qui tantum opus aggressi sunt, ut res mortalibus utilissimas inuenirent, aut auerterent, atq; excolerent, antiquitas, Dei Opt. Max. ignara, pro dijs coluit. Qui error, si non omnino spreto uero numine, irrepsisset, hoc ipso erat tolerabilis, quod dum Dei opera suspicimus, dũ illius leges intelligimus, dum secreta percipimus, & eius magnitudinem ex operibus, sapientiam ex ordine, bonitatẽ ex cõcessa nobis sapientia ueneramur. Quis enim qui, si opificem tantæ molis considerare uelit, si æternas leges motuum, si secretarum scientiam nobis traditam, illico eiusdem potentiam non timeat, sapientiam admiretur, bonitatem diligat? Monuerat Philosophus ille Augustum, ut cum facturus esset aliquid, prius Græcum Alphabetũ reuolueret, moram, scilicet deliberationi interponendam docens, atq; id salubri consilio: Sed salubriori certè si quisquam moneat singulis noctibus semel stellas inspicere, & illarum splendorem, motum, ordinem, magnitudinemq; considerare: Inde q; quis tantus opifex ista condiderit. Simul enim ut hæc diutiùs, & frequentius quisquam secum reputabit, illa occurrẽt, æternitatis memoria, nostræ cõditionis fragilitas, ambitionis ineptia, scelerum acerba recordatio: Inde contemptus tam breuis uitæ, quæ & si centum annis duret, quid porrò ad æternitatis immensam magnitudinem? nõne ut punctum exiguum in circulo? Quid hæc tota felicitas humana? quã si quisquam degustare potuit, tu ille ipse es, nõne uentus, fumus, somnium? Et si